

atque lamentis veris et spirantibus. Itaque quum agi fabula videretur, dolor actitatus est.

Latine vertit Sophoclis Electram Attilius. Cicero de Fin. I. cap. 2. §. 5. a quibus tam dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius, ferreum scriptorem: verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. Vide de eo Bentleium ad Q. Tusc. p. 56.

Haec primae editioni ante hos sex annos factae praefatus eram. Quae nunc quum denuo imprimenda esset, non committendum putavi, quin quae hodie rectius perspicere mihi viderer, ea corrigerem. Itaque et deleta quaedam, et addita nonnulla, et non pauca mutata inventientur. Nam ut omnino in rebus humanis nihil perfectum est, ita etiam in litteris dies diem docet. Quin aliquando vel inter scribendum occurrit, quod modo non meminisse doleas. Ut mihi demum typis descripta adnotazione ad v. 212. in